

HORTI MEDICI HELMSTADIENSIS
PRAESTANTIAM E PLANTIS
RARIORIBVS

SVPERIORI ANNO IBIDEM FLORENTIBVS
COGNOSCENDAM EXHIBET

ET
ILLVSTRI

LAVRENTIO HEISTERO

MED. D. SER. DVC. BRVNOV. AC LVNEB. A CONSILIIIS
AVLICIS ET ARCHIATRO PRAXEOS CHIRVURGIAE
AC BOTANICES PROFESSORI PVBLICO ET
PRIMARIO ACAD. SCIENT. CAES. NEC NON REG.
LOND. AC BEROL. COLLEGAE LONGE
GRAVISSIMO

INTER
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTOS
SENIORIS LOCVM

OBSERVANTER GRATVLATVR
IOANNES SIGISMVNDVS LEINCKER
NORIMBERGENSIS.

IN ACAD. IVL. CAR. MENSE MARTIO MDCCXXXVI.
HELMSTADII LITTERIS DRIMBORNIANIS.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
PRESS OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
CHICAGO, ILLINOIS

PRINTED AND BOUND AT THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1954

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
54 EAST LAUREL STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60607
U.S. POSTAL SERVICE PERMIT NO. 4231
CHICAGO, ILLINOIS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
54 EAST LAUREL STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60607



e tua prosperitas nondum turbata, *Patrone*,
Excitat atque manus ad sua pleetra
trahit.

Conscriptos inter Patres *Senioris* honorem
Musarum sedes hæc dedit alma Tibi.

Dat merito, postquam septem per lustra a) docebas
Et Lycea duo tot sua facta sciunt.

Quo par est animo læto Tibi gratulor ergo,
Det Tibi perpetuo prosperiora DEVS.

Sic, quod gaudemus, meritorum magna tuorum
Gloria mercedem vindicat ipsa sibi.

Cernit fausta tuos Academia tota labores,
A quibus ex votis commoda semper habet.

Et dum constituo tantas cognoscere laudes,
Vix mihi principium vix mihi finis adest.

An quid in exuviis mortis detexeris, an quos
Morbos consanas arte manuque, canam?

At tua præcipue cum iam solertia *plantas*
Curet, me pietas id memorare iubet.

Hinc non Calliope nos inspirare valebit,
Carminis arbitrium, sed *Dea Floris* amet.

A 2

Flora

(a) Adiecto illo decennio per quod tua eruditione uti potuit Pa-
læcome sive Academia mea Patria Altorfina.

Flora, tuum cultum nostris quæ cernis athenis,
 Perficies elegos dum tua sacra cano.
 Nam labor est nimius, nimium molimen habendum,
 Viribus his nostris maius id esse reor.
 Nempe relinquendum est felicibus hocce poetis
 Et quibus ingenium Phœbus Apollo dedit.
 Cum tamen haud raro te sim veneratus amore;
 Audeo de rebus pauca referre tuis.
 Nam neque censuram, neque cuncta obstacula curo,
 Non erit hoc artis, sed pietatis opus.
 Cumque tuum meritum mortales tendat in omnes,
 Huc decet & laudes enumerare tuas.
 Quot varios flores prato largiris amœno,
 Qui dare tam multis commoda grata valent.
 Quot salubres succos, queis lentos tollere morbos
 Possumus, e plantis suppeditare soles.
 Rarius ægrotus tunc confanesceret arte,
 Si medicina tua destituatur ope.
 Insuper oblectas animos, dum millia florum
 Profers, quæ semper non imitanda manent.
 Si quid in extenso pulcrum cognovimus orbe,
 Plantarum certe copia magna fuit.
 Innumeras nobis solet hæc offerre figuras,
 Quas admirari mens sua quemque iubet.
 Non paucos eadem poterit monstrare colores,
 Quos referet nunquam pictor in arte sua.
 Et quot dispersos semper sentimus odores,
 Deliciis ruris dum licet hisce frui.
 Quocunque adspicimus, quoties versantur in hortis,
 Pulcrum naturæ prostat alentis opus.

Non

v

Non levis est cespes, qui frustra crescat in arvis,
 Dignaque sic visu stamina floris erunt.
 Non satis est tantum plantarum nomina scire,
 Qui facit hoc, studii quam breve fingit iter!
 Hæc quoque iudicium iucunda scientia poscit,
 Huc oculos solers Physice verte tuos.
 Dic leni plantis quid profint murmure venti?
 Quid iuuet humectans has pluvialis aqua?
 Demireris enim Tibi si connubia florum
 Monstrem, quæ nunquam somnia mentis erunt.
 Hos inter Venus ipsa suo quasi ludit amore,
 Vtpote quod cecinit carmine *Royen* opus. (a)
 Talibus atque aliis nos admiratio rebus
 Occupat, hinc hortus semper amœnus erit.
 Hinc tua tu pulcris *Florum Dea* cincta coronis
 Maiestas variis est veneranda modis.
 Hinc etiam Pindum nostrum dum floribus ornas,
 Inter pierides pieris esse potes.
 Namque tuam sedem certam spectamus ad Elmum,
 Hic tuus assidue concelebratur honos.
 Hic tuus est herbis non deficientibus hortus,
 Hic tuus & cultus gratior esse solet.
 Cernimus hic positos omnes ex ordine stirpes,
 Florum distinguunt quælibet arva, genus.

A 3

Disci-

(a) Idem quidem descripserunt autores duo a plerisque vix citati, *Rud. Jac. Camerarius*, nimirum in *Epist. de sexu plantarum* Tubingæ jam A. 1694. & *Anonymus* quidam in elegantissima ode huic scripto annexa. In eo tamen inter omnes poetas se distinxit Celeberr. *Adrianus van Royen*, Botanicus Leidensis, quod carmine elegiaco eleganti & prolixo admodum cecinerit plantarum amores & connubia. *Lugd. Batav. 1732. in 4. ed.*

Discimus hic methodum, qua res herbaria tota
 Tractari medica semper in arte decet.
 Hic sunt, quæ vario crescunt sub climate plantæ,
 Hic quid sub zona quave virescit, habes.
 Si quis ad occasum, flos siquis solis ad ortum
 Provenit, hac etiam parte videndus adest.
 Scilicet attentus, tales qui conspicit agros,
 Protinus Hesperides autumat esse novas.
 Lubens se tales nunquam spectasse fatetur,
 Dicitur a cunctis hic bonus ordo decus.
 Talia cur ita sint, sed non mirabitur unquam,
Heisteri curis si semel orta sciet.
 Hujus enim studio viret hic cultissimus hortus,
 Pendet ab hoc operis gloria, *Flora*, tui.
 Annuis & penitus causam me tangere gaudes,
 Dum lætus tantum nomen in ore gero.
 O mihi nunc vellem facundi plectra Maronis,
 Ut mea sint tanto carmina digna viro.
 Nunc ego nam conor de fama nominis Ejus
 In versu quædam ponere verba meo.
Iulia quæ iunctum nomen *Carolina* tuetur,
Heistero maior splendet in orbe suo.
 Hunc etenim totus doctorum suspicit orbis,
 Hunc simulac vidit quisquis amare debet.
 Hic candore suo docta methodoque docendi
 Ad se tot iuvenum pectora fida trahit.
 Hic, ut & in reliquis medicinæ partibus omnes
 Exsuperat, regnum scit quoque, *Flora*, tuum.
 Non melius *Raius* vel *Tournefortius* isto
 Plantarum studium disposuere suum.

Nam

Nam quod plantarum veteres systema docebant,
 Luce nova melius iusserat ipse frui.
 Quæ quandoque suis (ignoscat) nomina curis
Linneus mutat, rectius hicce docet.
 Ordine dumque novo plantas disposuit, Eius,
 Vtilis *Heistero* fit moderante, labor.
 Vt paucis dicam nostri *Podalirius* ævi est,
 A Medicis docto dignus in orbe coli.
 Ergo sub tanto crescentes auspice plantæ
 Maiori cultæ conspiciuntur ope.
 Sæpe suos arbor trudit de palmitè flores,
 Cui calor huius humi vix satis omnis erit.
 Ah cur tam tardam sentit se nostra poesis,
 Dum iubet officium plura referre sonis!
 Nunc memorare decet plantas, quas scimus in
 horto

Anno præterito flore stetit suo.
 Quot *varias Aloas* hinc is florescere vidit, (a)
 Herbas discendi cui sua cura fuit.
 Hic peregrina virent in cunctis mensibus anni
 Germina, & hinc versu non nisi digna cano.
 Plurima, quæ refero, quis non exotica dicat?
 En *Meliantbus* (b) afer suavia mella dedit.

Stirps

(a) Ultra 30 diversæ & notabiles aloes hic adsunt species, quarum pleræque floruerunt.

(b) Hæc arbuscula, dum floret, multum fundit liquidi mellei, quo in Africa loco mellis ad plura commoda utuntur.

Stirps, cui Virgilius iam donat nomen *Amello*, (a)
 Floret & ejusdem mollis *Acanthus* (b) adest.
 Flore suo splendet *Dillen* *Thelephiastrum*, (c)
 Condecorat comites *Corchorus* (d) ipse suos.
 (e) Nunc liceat nomen *Pipero* divellere *dendrum*,
 Id quod floruerit sapius ipse scio.
Ficula (f) praeterea vel *Granadilla* (g) subinde
 Hic satis egregio flore nitore solent. Quæ

- (a) Mentionem huius floris facit Virgilius Lib. Georg. IV. v. 271. ut Martynius Prof. Botan. Cantabrigienfis, in notis ad loca huius autoris botanica anglice editis p. 378. autumat, est *Aster Atticus*; quamvis de eodem adhuc lis sit sub critico & botanico iudice: An revera hanc plantam sub hoc intellexerit nomine.
- (b) Eclog. IV. v. 20. Lib. II. Georg. v. 119. Æn. I. v. 649. Cum hic *Acanthus* sit sine aculeis, vocatur, alia eiusdem specie cum aculeis existente, mollis, ut facilius distinguatur ab aculeato.
- (c) Quod amœnissimum florem rubicundum profert & in horto Elthamensi T. 281. ab ipso delineatum. Linnæus illud, ut solet sine necessitate nomina mutare, *Anacamperos* vocavit.
- (d) Est rara planta in Germania & in reliquis Europæ partibus. In Ægypto autem inter herbas edules omnium est frequentissima, teste Prospero Alpino. Lib. de plantis Ægypti cap. 28. ubi *Melochia* dicitur, atque etiam variis morbis medetur.
- (e) *Piperodendrum* nomen habet a pipere vulgari, quia odorem & saporem cum eodem habet communia. In nullo alio Europæo horto adesse rarum hoc *Piperodendrum* (quod scriptorum in re herbaria de eo silentium prodit,) videtur. Certe rarissimum est, quod reliquis facile antepoimus horti nostri pretium. Prolixiori descriptione hanc arborem olim dignatus est Venerandus Heisterus in diff. peculiari de Pipere 1740 habita & postea & adhuc accuratiori indagatione, in diff. de Nominum plantarum mutatione utili & noxia 1741. ed. Folia habet cum arbore *Molle* Clusii dicta convenientia, sed non solum odore & sapore ab eo differt, verum & arbor illa *Molle* in multis hortis profstat, cum hæc deficiat.
- (f) *Ficula* pro *Ficoides* pono, quarum multæ adsunt species.
- (g) Quinque huius hic adsunt pulchræ species.

Qui quoque *Draconis* fingit flos osque caputque

Crescit & insignis forma cuique placet.

Baccharis (a) & *Larix*, *Euphorbia*, *Partheniastrum*

Ad talem censum se numerare sinunt.

Mox habet *Acacias* variantes flore colores

Hortus; te, viridis mox *Oleaster*, habet.

Ketmia grata suos & mox *Malviscus* habebat

Flores, exemplum *Senna* secuta suos.

Vidimus in læto *Lentiscum* (b) floribus horto,

Vidimus & flores, quos, *Alaterne*, geris.

Atque arbor celebris consueto *Coffea* (c) potu

Effudit flores, sic quoque *Barba Iovis*.

Ziziphus (d) *Azederach* & signum triste *Cupressus*,

Capparis (e) & *Cactus* (f) sic viguere diu.

Di-

(a) *Baccharis* nomine hic non intelligenda est illa *Conyzæ* species, quæ a Dalechampio in Hist. Plant. p. 917. aliisque *Baccharis* monspeliensium vocatur vel major; verum illa exotica ad novum genus a *Linnaeo* relata, cuius prior species a *Boerhavio* in H. L. B. Parte I. p. 117. *Senecio* afr. arborefcens folio ferrato, & altera, *Senecio* Virginicus arborefcens atriplicis folio adpellatur. Quibus *Linnaeus* ob notabiles differentias a *Senecione* vulgari, *Baccharis* nomen, licet forte sine ratione, imposuit.

(b) Est arbor unde gummi *masticæ* provenit.

(c) Hæc quidem singulis annis hoc in horto & flores & fructus profert maturos.

(d) Est arbor illa cujus fructus in officinis *iuiubæ* adpellantur.

(e) Quæ condimentum illud profert, quod *capparides* vocant. Quæ vero non sunt fructus hujus plantæ, sed flores ejus adhuc clausi, sive gemmæ aut noduli florum.

(f) *Linnaeo* est amplissimum genus, sub quo comprehendit *Echinocactum*, *Opuntias* s. ficus indicas & *Cereos* erectos ac serpentes quam plurimos. Genus forte nimis amplum.

B



Dictamnus verus (a) quem tellus cretica profert,
 Ultima non inter nomina floris erat.
 Posthæc ipse caput terris *Hemantibus* in udis
 Extulit, atque hujus *Cassia* facta comes.
 Arbor quæ format, fingitque *Corallia* (b) fructu,
 In ramo quodam sic & amictus erat.
Calceolus, (c) forma, quid visu dignius, eius?
 Ista simul metro sit referenda meo.
 Nunc subeat vultum tortis *Anguina* capillis, (d)
 A quibus in græcis hæc quoque nomen habet.
 Vos Medicos testor, plantam qui noscitis istam,
 Menti quid melius fila recurva refert?

Deni-

- (a) Est planta apud græcos olim ob virtutes suas admodum celebris; cuius nomen male a quibusdam supprimitur.
- (b) Arbor hæc, quia semina eius corallii forma & colore gaudent, dicta a quibusdam *Coral* est, ab aliis *Corallodendrum*. Vigent hic tres eius species: nimirum 1. *corallodendrum tryphyllum caule spinoso*, 2. *caule non spinoso recto*, & 3. *caule non spinoso volubili, viri altitudinem superante*, quod potissimum superiori anno hic floruit & flores pulcerrimos rubros ex inferiore caulis parte protulit. Hæc species rarissima mihi videtur, quia neque a *Dillenio* in horto Eltham. neque a *Linnaeo* in horto Cliffort. neque a *Royeno* in prodr. horti Leidens. ejus ulla fit mentio. Vnde apparet plures hic esse plantas, quæ raro alibi in Europa reperiuntur. *Dillenius* quartam addit speciem, l. c. Sed *Linnaeus* diu receptum hoc nomen in *Erythrinam* malo, si dicere fas est, consilio mihi mutasse videtur: quia prius discentibus facilius.
- (c) Exacte satis huius flos formam repræsentat *calceoli*. Dicitur aliis *Calceolus Mariæ*, quod nomen *Linnaeus* more suo mutavit & *Cypripedium* vocavit. An recte? iudicent alii.
- (d) Ita a fructu, *anguem* referente, a *Michelio*, Botan. italo, vocata, quod vero nomen antiquius sive necessitate mutatum est in *Trichosanthis* a *Linnaeo*.

Denique quid superest dictis adponere plantis?

Pulcrior his cunctis *sensilis herba* (a) fuit.

Namque nec est alibi forsan præstantior herba,

Post tactum fibras contrahit illa suas.

Sed revocor. *Palme* (b) splendescit frondibus hortus,

Hortis quot palmam præripit ergo novam!

Nec fructus desunt: præbet *Ceratonia* (c) fructus,

Maturos pariter *Laurus* (d) & arbor alit.

Vos quoque, vos stirpes, quæ nomina docta tenetis,

Vt dicam, nostri carminis estis opus.

B 2

Hinc

- (a) *Herba sensilis* s. *sensitiva* ita nominatur, quia dum tangitur, folia contrahit & ramulos versus terram commovet, quasi sensu & motu esset prædita. Hinc Anglis *the bumble plant*, vel planta humilis audit, ad imitationem hominum humilium corpus versus terram inflectentium. Alias propterea etiam *Mimosa* audit, quod nomen hodie usitatissimum.
- (b) *Palmarum* aliquot species hic coluntur. Sed ea nunc sui meretur considerationem, quæ frondibus donata est *flabelliformibus caule spinoso*, cuius exemplum hic adest ex maximis in Germania, quæ altitudinem IX. pedum habet & singula ætate floret flosculis flavis in forma botri. Non vero solum magna hæc palma floruit, sed etiam iunior huius speciei, & priori longe minor.
- (c) *Ceratonia* in Germania flores & fructus suos s. filiquas profert rarissime. Hic vero perfecte maturum præbuerat fructum, in Pharmacopoliis *siliqua dulcis* dictum; remedium egregium pectorale.
- (d) *Linneus* magnus & indefessus ille botanicus, in splendidissima sua Horti Cliffortiani descriptione p. 155. fatetur: se nunquam, neque etiam in ipsis hortis belgicis, qui tamen totius Europæ quasi præstantissimi sunt, vidisse Laurum feminam s. fructus aut baccas ferentem. Hic vero Elmipoli & in Horto Academico & in Heisteriano domestico, non solum alias, verum etiam superiori anno lauros ejusmodi vidimus, quæ fructus multos protulerunt, eosque etiam adhuc nunc sustinent.

Hinc *Comelinorum* (a) referens mihi nomina magna
 Te video plantas inter adesse meas.
 Hispanum quendam reddens *Monarda* (b) celebrem,
 Hic pariter servas non sine iure locum.
Clusia iam redeat mihi mas & fœmina versu, (c)
 Planta dein summi *Grewia* (d) dicta viri.
 Tuque sagittalem formans *Gakenia*, (e) fructum,
 Iure tui memini, vel *Lavatera* tui.
Knauthia post illas, post hanc *Rivinia* (f) venit,
 Coccineas baccas quæ tulit innumeras.

Tu

- (a) *Comelina* a Celeberr. Botanicis duobus Amstelodamenfibus Io. & Casparo *Comelino* ita dicta, qui horti Amstelodamenfis plantas descripserunt.
- (b) *Monarda* olim *Origanum fistulosum* dicta fuit a *Rivino* Lib. de Flor. irregul. Quoniam vero cum origano, si folia exceperis, atque sic etiam cum ceteris huius classis plantis non omnino convenit, iure suo novum hoc ipsi Linnæus dedit nomen, a *Monardo*, Botanico hispano.
- (c) In huius peregrinæ arbusculæ genere quædam sunt mares & fere semper florent, staminaque seminifera proferunt, verum nunquam fructus. Sed quædam sunt fœminæ, quæ fructus & semina proferunt, quos etiam superiori anno dederunt maturos.
- (d) Olim *Tournefortio* dicta est *Guidonia*, a cel. Regis Galliæ Ludov. XIV Archiatro, *Guidone Fagonio*. Quia vero iam planta quædam nomen *Fagonia* habet; recte mutata postea est a *Linneo* *Guidonia* in *Grewiam*, adeoque nomen nunc gerit a cel. Botanico Anglo, *Nehemia Grew*, qui anatomiam plantarum scripsit.
- (e) Fructus huius plantæ pulcre refert sagittam, quo ab omnibus differt. Ill. *Heisterus* nomen hoc ei dedit a *Gackenbolzio*, Professore quondam huius Academix Anatomico & Botanico, qui moriens pro meliori conservatione & cultura horti huius mille nummos imperiales legavit, ut sic in hac planta semper vivat.
- (f) A *Rivino* cel. Botanico Lips. nomen huic plantæ dedit Linnæus, & antea a *Bœrhavio*, ob faciem Solani, *Solanoides* dicta fuit. *Knauthia* vero Linnæi est *Lychniscabiosa* *Bœrhavii*.

Tu, quæ romani Medici mihi *Celsia* (a) nomen
 Dictas, præterea nunc memoranda venis.
 Ac tu quæ Medici repetis *Galenia* (b) græci
 Nomen, es incepti pars quoque facta mei.
 Sic tu *Gesnerum laudans*, (c) *Stisseria* (d) tuque
 Horto præcipuus nunc & eratis honor.

B 3

Sic

- (a) Licet *Linnaeus* hoc nomen a *Celso*, Theologo & Botanico Sueco introduxerit; *Celsus* vero celeb. ille Medicus Romanus & Medicorum *Cicero*, ob plantas quam plurimas in scriptis suis laudatas, æque bene locum & memoriam in re herbaria meretur, quam *Celsus* Suecus & alii Medicinæ parentes græci & latini, nomen hic, ex *Heisteri* sententia simul gerat a *Celso*, Medico illo egregio Romano; cum aliud aptius nomen ab hoc forte dari aut fingi non possit.
- (b) Sic enim hanc plantam nominat *Linnaeus* in memoriam *Galenii*, Medici fere Principis Græci.
- (c) *Gesneria* in honorem ita dicta est *Conradi Gesneri*, cel. Med. & Botanici Seculo XVI. viventis. Antea nomine *Digitalis acanthoidis* in Horto Amstelod. est descripta Part. II. p. 105. Sed a digitali multum differt.
- (d) In memoriam *Stisseri* Med. ac Botan. huius Acad. meritissimi, hæc planta ita dicta iam est 1730. ab *Heistero*, in catal. plant. horti Helmstad. Planta est floribus elegantissimis donata. *Linnaeus* ipsi hoc nomen, quod in System. suo Naturæ assumerat 1735, sine ratione data postea rursus detraxit & eam *Stapeliæ* adpellavit. Verum facit hoc contra sua præcepta: dum in horto Cliffort. p. 211. dicit, eum esse hac in re (scil. in nominibus plantarum imponendis) iure priorem, qui prior est tempore, & in Fund. Bot. aph. 238. affirmat, se nomina ad Botanici bene meriti memoriam conservandam constructa sancte servare. Sed utrumque hic non servavit. Nam *Stapeliæ* nomen alii plantæ dare & illud *Stisseriæ* prius datum, ex sua thesi servare debuisset.

Sic *Spreckelſe* (a) tuas, ſic *Maurocene* (b) tuasque
Laudes ex herbis enumerare decet.

In mentem revocans nomen *Meibomia* magnum,
Quam nitidi flores, planta, fuere tui ?

Denique florueras quoque tu *Barbavia* grata, (c)
Quæ primum certe iure vocanda fores.

Multaque præterea retulerunt germina florem,
Quæ melius cerni quam potuere cani.

Et quid ſi dicam reliquas iuuet ordine ſtirpes ? (d)
Excedit paginam copia vera meam.

Hinc

(a) *Spreckelia* nomen habet a Viro & ICto illuſtri Hamburgeniſi, qui hortum hunc Helmſtadienſem ingenti plantarum rariorum copia ditavit. *Heiſterus* huic plantæ hoc conceſſit nomen, ut tantus Patronus huius horti æterna inter plantas, floreat memoria. Ad Lilio narcifſos relata antea fuit a Botanicis *Spreckelia*. Sed Lilionarcifſi flores habent exacte fere liliaceos, ſegmentis floris regularibus ſive uniformibus ; In hac vero planta petalorum longitudo, latitudo, ſitus & inflexio eſt inæqualis, ſive *irregularis* : hinc eam iure a ceteris ſeparavit. Aſpectus & color eius pulcherrimus eſt : nam colore pollet rubro peculiari fulgentiſſimo. Optime delineata atque colore illuſtrata videri poteſt in Herbario omnium ſplendidifſimo Weinmanniano, Vol. III. N. 652. nomine Lilionarcifſus ruber Iacobæus.

(b) Hac planta nomen *Maurocena* habet a *Mauroceno*, Nobili & Senatore Veneto, qui ſplendidum ſuis ſumtibus hortum Patavii exſtruxerat, eumque plantis quamplurimis exornaverat : quarum catalogum edidit Georg. a *Turre* Patavii 1662, 12. Planta hæc rara ante *Ceraſus Hottentottorum* vulgo fuit adpellata. Sed quia *Ceraſi* requiſita non habet, aliud nomen erat neceſſarium, quod *Linnaeus* ipſi dedit. Folia habet craſſiſſima fere ovata non ſucculenta, & sæpe iam hic floruit, cum alias raro in Germania floreat.

(c) A magno Medico & Botanico Leidenſi *Barbavio* ita vocata.

(d) Ne tamen tot plantas prorfus ſilentio præteream, ex ſtirpibus

Hinc horti nostri quid maxima gloria tantum
Extiterit, facio per mea verba palam.

Præ-

bus, quas, præter iam indicatas, hortus Helmstadiensis superiori anno & nunc adhuc alit, sequentes ceu rariores adhuc nunc mihi succurrunt: ut species *Ketmiæ* elegans, *Abelmosch* vulgo dicta, cuius semen *moschi odorem* præbet; *Abrus* Alpini, *Absinthia* exotica, *Abutili* aliquot species, *Acrifolia* elegantiora, *Adhatoda* maior & minor, *Alaternoides* afric. & *Albekengi* aliquot species, *Amarantibi*, *Ammannia*, *Anagyris*, *Ananas*, *Anemone* elegantiores, *Anemonospermum* multiplex, *Annona*, *Anthospermum* Linnæi, *Apocyna* multa, *Aralia* arborefcens spinosa, *Arbutus*, qui fructus maturos fragis similes superiori anno protulit. *Aristolochia* & *Ara* exotica, *Asteres* plures pulchriores, *Basella*, *Benzoes* arbor, *Bermudia* & *Bignoniæ* varix, *Bosca*, *Browallia*, *Bupleuroides* Boerhavii, *Cacalia*, *Camara*, *Campbora* arbor, *Cannæ* diversæ, *Cardinalis*, *Cedrus*, *Celastrus*, *Celtis*, *Cerintboides*, *Cestrum* Linnæi, *Chamalea*, *Chrysanthemoides*, *Cisti*, *Colocasia* & *Colutea* varix; *Coriaria*, *Corispermum*, *Coronilla* exotix, *Cotinus*, *Cotyledones* & *Craffula* diversæ, *Cyclamen*, *Cytisi* exotix, *Datura* varix, *Discorea*, *Draco* arbor rarissima, quam neque in horto Cliffortiano, neque Leidensi notatam inveni; *Echinocactus*, *Elychrysa* varia, *Emerus*, *Ephedra*, *Ephemerum*, *Epidendrum*, *Erica* africana. *Fabago* Tourn. *Fagonia*, *Ficoidis* species quam plurimæ, *Ficoidea* T. *Ficus* exotix, Bengalensis & Zeylanica; *Gale* & *Geniste* varix, *Gerania* plurima afr., *Gleditschia*, *Globularia*, *Gnaphalium* T. *Guaiacana*, *Guatava*, *Guilandinoides* H. Cliff. *Hermala*, *Hermannia* quatuor, *Hermodactylus*, *Iasmina* & *Iasminoides* varia; *Ilex*, *Indigofera*, *Irides* pulcerrimæ, *Iudæ* arbor. *Kampferia*, *Kleinia*, *Lacryma* Iobi, *Leonurus*, *Liliasphodili*, *Lilionarcissi*, *Lobelia*, *Lauri* varix species, *Magnolia*, *Malacoides* T. *Maranta*, *Mastichina*, *Menispermum*, *Mitella*, *Molucca*, *Myrti* & *Neria* varia, *Nyctantbes* L. *Olea* & *Opuntia* atque, *Oxalides* exotix varix, *Padus*, *Paliurus*, *Papaya*, *Parkinsonia*, *Passerina*, *Peirescia*, *Periclymenum*, *Periploca*, *Petiveria*, *Phillyrea*, *Pista-*

Præter enim dictos, quosdam conspexerat hospes
Flores, qui reliquos exsuperare solent.

Cereus incurvans corpus serpentis ad instar
Primum muricibus petala tincta tulit.

Talem (a) florentem nondum descripserat ullus,
Qui studium plantis consecrat omne novis.

Ne mirere tamen stirpem se flectere posse
Cera, cui nomen, flexilis ipsa dabat.

Vici-

Pistachia, Platanus, Polia, Protea, Pforalea, Punica, Pyrethrum, Ranunculi elegantiores, Rhamni varii, Rhamnoides, Rhus foliis ternatis & pinnatis, Ricini, Ricinoides, Rudbeckia, Ruellia, Rusci, Ruyschia, Saccharifera arundo, Salviastrum, Santolina, Sapindus, Saururus, Scilla offic. Scrophularie, Seda exotica varia, Smilaces, Solana peregrina multa, Soldanella, Spartium, Sparmacoce, Spiræe, Staphisagria, Staphylo-dendrum fol. pinnatis & trifoliatis, Stoechas duplex, Tamarix, Tannus, Tanaceta africana, Tithymali exotici, Tournefortia Pontederæ, Toxicodendra, foliis ternatis & pinnatis. Trachelium, Tragacantha, Turnera, Valantia, Verbena exotice, Vitex, Volcameria, Urena, Vrticastrum, Yucca duplex, Zingiber, Ziziphora & plures aliæ rariores nondum cognitæ.

(a) Præter enim *Cereum Surinamensem, cereum scandentem inno-rem & cereum peruvianum* nulli adhuc florem conspiciendum præbuerunt, affirmante Celeberrimo *Trewio*, qui inter doctissimos Norimbergensium Medicos fulgentissimum decus est, in *Ephemerid. N.C. vol. III. Obs. CXXIX. p. 394* Sed hic, qui primus superiori anno bis hic floruit floribus suavissime rubris, caules habet serpentis in modum & formam inflexos, digito vix crassiores, quasi teretes, & minutissimis ac copiosissimis stellulis spinosis obsitos. Pulcerrimos flores suos non tam cito dimittit, quam ceteri cerei; sed per duos tresve dies, ipsos spectatoribus exhibet contemplandos. Flores denique digiti obtinent longitudinem, a basi s. principio, quod copiosissimis pilis tenuissimis albis, obsitum est, ad apicem rubicundissimi sunt, & expansi duorum pollicum in diametro habent amplitudinem.

Hanc tandem vicibus caulem peperisse duabus
 Flores, res nostræ dicere partis erat. (a)
Cereus ast ingens alboque rubenteque mixtum (b)
 Protrufit florem, sed modo nocte viget.
 Arbos Indorum, quam torrida nutrit arena,
 Sic nos, quid vegetet diffita terra, docet.
 Parva quis illius numerabit stamina flava?
 Hæc non exigui cura laboris erit.
 Pertinet ad classẽ, quem flos monopetalus ornat, (c)
 Non sua frustatim petala pulcra cadunt,
 Sic nitidas plantas nostris spectamus in oris,
 Quæ procul in calidis partibus orbis erant.
 Non fatis, est stirpes patriæ cognoscere nostræ,
 Vtilis ex quovis provenit herba solo.
 Hinc hortus noster quam maxima commoda sistit,
 Tot varias plantas dum sua rura ferunt.

Nec

- (a) Nunc vero, quo hoc scribo, mense Martii, viginti fere novos flores ostendit, qui proximo mense florebut.
- (b) Scilicet *Peruvianus* s. *Americanus ille maximus*, erectus altissimus atque crassissimus, ut plurimum sexangularis, cuius aliquot hic adsunt specimina, altitudine X. ad XII. pedum, quæ antea iam hic flores dederunt, floris solis fere magnitudine & facie; quorum tamen *radii* sive lacinie floris *sunt intus albi*, oris purpureis, extus vero magis rubicundi, & speciosissimum hunc florem vix ultra unicam noctem in vigore conservant.
- (c) Conf. celeberrimus *Trewius* l. c. p. 403. Apparet ac si e numerosissimis petalis constaret; sed est unicum tantum, dum omnes eius lacinie in basi cohærent. Optime delineata est hæc planta in l. c. Doctiss. *Trewii* & coloribus expressa videri potest in Herb. Weinmanniano, Vol. II. N. 355.

C



Nec mirum est tales plantæ dum semper ibidem
Florent, quin felix floreat ipse simul.

Tanta tui suavis patet hic præstantia cultus,
Flora, cui medica quisquis in arte studet.

Tanta per æstatem fuerant spectacula campi,
Nec satis est, flores stant rigidante gelu.

Hic tua pompa minor non fit brevitate dierum,
Hanc videt in medio frigore tristis hiems.

Nempe sub autumno mox hybernacula tuta
Quæris, ut ex urnis semina semper agas.

Sole tuas radiis tunc vix tangente fenestras,
Fornax sub terra condita tota calet.

Ignibus occultis demum quod distulit æstas
Elicis, exempli fit tua *Musa* loco.

Nuda nivis glacie cumulaverat arva December,
Musa suas spathas cum tulit alta graves. (a)

Hæc

(a) *Musa* est planta speciosissima pariter ac mirabilis, Iavis & vulgo *Pysang* adpellata. Habetur a quibusdam pro *arbore vegeta* paradisi ob fructum, suavissimum; a quibusdam pro *scuilla*, cuius foliis, dum inter omnia longissima ac amplissima sunt, primi parentes se obvelarunt. Nam longitudinem habent sex pedum & latitudinem duorum in medio, versus extrema utrinque sunt obtuse paullulum acuminata. Ab aliis vero pro *botro illo*, quem duo exploratores Palæstinæ inde reportarunt: dum fructus ad botri modum plurimos ex uno pedunculo profert & sustinet fructus cucumeriformes, longitudine nunc sex pollicum. Merito inter quam plurimos planta habetur princeps & huc usque vix nisi in Principum floruit hortis. Floruit enim primum in Germania Viennæ in nobili horto Principis Eugenii; dein in Ser. Marchionis Badeno-Durlacensis horto

Hæc erit arboribus cunctis pulcherrima visis,
 Hanc magno numero thurifer Indus habet.
 Serica sunt ejus latissima folia tactu,
 Hinc nemus ejusdem quisque videre cupit.
 Nuncupet hanc aliter quamvis operosior ætas,
 Iam plerumque tamen *Musa* vocata fuit.
 Præter *Castalides* igitur qui quærere *Musam*
 Nesciret, celeres huc ferat ille pedes.
Musæ non solum sub *Phæbi* numine florent,
 Ecce sub *Heistero* nunc quoque *Musa* viret!
 Edocet hæc summum pretium, quod continet hortus,
 Et curam, qua nunc fertilis ipse manet.
 Confluit huc hominum, superante cupidine ducta
 Copia, quæ florem prædicat ore novum.
 Atque ita dum totam rem læto pectore narrat,
 Certum est *Heisteri* commeminisse mei.

horto Carlsruhano vere regio ; postea anno 1739. autumnò
 Brunsvigæ in Serenissimæ Ducis Viduæ SOPHIÆ horto ; ac de-
 inde ante biennium Salzthalæ in horto amœnissimo Sereniss.
 Duc. Brunsv. & Luneb. CAROLI, Acad. huius Nutritoris, Princi-
 pis, qui sæculi sui est gloria. Denique & in hortis splendidissimis
 Bosiano Lipsiæ, & Cliffortiano in Hollandia. Nunquam
 autem, quantum equidem scio, hætenus in alio horto floruit
 academico, quam in Helmstadiensi : ubi mense Novembri ani-
 ni præcedentis caulem s. spadicem florigerum, medio vero De-
 cemberis flores ostendit, qui sensim, sensimque prodierunt, ita
 ut nunc a mense Ianuarii fructus sustineat XXXIV. quot vix
 ullibi in Europa hucusque protulit : de quibus, quia adhuc me-
 dio Martii vigent, spes est eos ad maturitatem esse perventu-
 ros. Edidit Linnæus libellum egregium de *Musa Cliffortiana*
 1736. Lugd. Batav. in 4. c. fig.

Fama statim pariter sua pervolat ora virorum
 Et laudem meriti promovet usque boni.
 Hinc venit atque videt *Musam* Dux CAROLVS ipse,
 Qui *Patriæ* Pater est delictumque suæ.
 Princeps magnanimus, quo vix prudentior ullus,
 Suspiciens doctos atque favore colens.
 Semper amans Pindum positum, quem nutrit, ad Elmum,
 (Nullis impensis parcere namque iubet.)
 Magnificosque struens hortos ædemque superbam,
 Quæ stirpes hieme continet atque fovet.
 Qui reparatque vias, Musarum, ut filius apte,
 Si lassus studiis, ire redire queat.
 Qui iubet excelsum libros, quo Academia condatur,
 Exornare locum, qui decus esse solet.
 Qui doctas chartas, pulcras qui diligit artes,
 Qui populo pacem iustitiamque dedit.
 Qui favet & Medicis, horumque cadavera cultro
 Largitur, plantas suppeditatque novas.
 Qui facit, ut lætum fulgens extollere vultum
 Inter tot similes *Iulia* rite queat.
 Hic, inquam, Princeps *Musam* spectavit in horto,
 Ne tantum summo Teste careret opus.

Talia dum memoro subrides denuo, *Flora*,
 Principis adspectu facta superba tui.
 Sed Tibi, quæ tantum nunc conciliavit honorem,
Heisteri meritum plurima causa fuit.
 Hinc tua res iterum est huius extendere laudes
 Tam celebres, sed iam (sentio) rite facis.

Per-

Perge modo, Tu *Flora*, tuis ostendere plantis:
Heistero quantus sit tribuendus honor.
 Nunquam præterea concedere desine stirpes,
 Ut capiat fructus suavis Hygea suos.
 Nulla tuas segetes tempestas turbet amœnas,
 Et ceu custodes commoda pacis habe.
 Floreat hinc hortus, tandemque diutius ipso
Heisterus, lumen præsidiumque meum.

Hanc dum florentem video per vota salutem,
 Fas est lætitiæ carmina plena dare.
 Hincque tuas aures obtundere, *summe Patrone*,
 Non vereor, tanto ducor amore tui.
 Tot tantisque tuis curis studiisque relatis,
 Ad Te sic pietas sit reditura mea.
 Res est magna tuam magnam perpendere famam,
 Attamen hac fama maior es ipse tua.
 Hoc vidique Tuo quoties & ab ore pependi,
 Et quoties studii tu meus Autor eras.
 Vix satis ingentes dotes cognoscimus in Te,
 Qui procul est melius sæpius hæc colit.
 Cura laborque Tuus tendunt solamen ad ægri,
 Te vacuum studiis otia nulla vident.
 Crescet in immensum tua iam iam gloria magna,
 Nam debet multum, Vir, Medicina Tibi.
 Plus ardoris habet quam per mea verba redundat
 Pectus, Tu fidum dirige candor opus!
 En *Heistere* meam tenui tam carmine mentem,
 Verbis, quæ vellem promere, destituor.

Est in Te tecum veneranda scientia cunctis,
 Quot variæ gentes, tot tua scripta legunt. (a)
 Vel tanquam *Senior*, vel tanquam doctus in orbe
 (Ergo dupliciter) Tu venerandus eris.
 Augeat interea DEVS ipse *ter optimus* annos,
 Quæ vitam vegetant, constituuntque tuam.
 Quæ Meditrina tuis meritis devincta tenetur,
 A Te morborum grata repellet onus.
 Non tua curarum cumulus præcordia vexet
 Vt fias felix ex *Seniore* senex.
 Nec Te dente suo poterit quoque rodere Momus,
 Invidiam supra Te tua fama locat.
 Ergo vive diu Tu Gloria temporis huius,
 Vt Te devenerer suspiciamque diu!

Omn-

(a) In eo potissimum omnem cultum gloriæ præstitere tuæ exte-
 ri, quod scripta tua toties latina lingua imprimi & in varia
 idiomata deinde verti curaverint. Tuum enim *Compendium*
anatomicum, quod primum Altorfii editum est a. 1717. latine
 rursus prodiit Amstelodami 1723. & bis Venetiis 1730. Anglice
 promulgatum est Londini 1721. & Gallice Parisiis bis quoque
 1724. *Chirurgicæ Tuæ institutiones*, quæ primum Norimb.
 in Germanica lingua 1718 & postea aliquoties prodierunt, se-
 mel 1739. latine, & semel 1741. belgice fuerunt emissæ Amste-
 lodami. Venetiis etiam 1740. latinum earundem exemplar re-
 liquit prelum. In Anglicam denique linguam translata sunt
 1743. Nunc vero easdem in Hispanorum lingua Madriti lu-
 cem esse adspexuras, iubentibus ibidem Archiatri regis, te-
 stantur Chirurghi Regii *Andreae Garciae Basquez* qui eas vertit,
 exaratæ ad Te nuper literæ Prid. Kalend. Febr. 1746.

Omnibus intererit, nam tu quot vixeris annos,
Æternæ laudis tot monumenta dabis.
Pro Te, crede, tuos cœlum exorare clientes,
Inter quos liceat me numerare simul.

